



**Francisci Junii ad Eclessiam Dei quae Ultrajecti est, de
communione sanctorum in pietate sanctimonia, charitate et
pace per unitatem spiritus colenda paraenesis**

<https://hdl.handle.net/1874/9410>

Francisci Iunii
AD ECCLESIAM
DEI

*Qua Ultraiecti est, de communione
sanctorum in pietate sanctimonia,
charitate & pace per unitatem
spiritus colenda
Paranesis.*



TRAIECTI AD RHENVUM,
Apud Salomonem Rodium.
clō. lō. xcv.

IN D. FRANCISCVM IVNIVM. B.

M Vt tua si meritis debetur gratia: certè
Debetur IVNI gratia magnatibi.
Ecquis enim meruit melius te? **TEMPLA, SCHOLÆ.**
Et studio **RES** stat **PVBLICA** nostra tuo.
Illa quidem deserta gravi sub mole iacebant,
Et facies illis non nisi mortis erat:
At subiit tanta pietas tua pondera molis,
Et desperatam sufficis vnus opem.
Maſte **VIR** ingenio, cui **TELLVS** debet & **ÆTHER.**
Cui pariter debet **CVRIA, TEMPLA, SCHOLÆ.**

H. C. M. E. V.

3
*Omnibus Fratribus
qui*

VLTRA IECTI SVNT,
vocatis sanctis, Gratia & pax, a
Deo Patre, & Domino Iesu Christo,
vnicō salutari nostro.

CHARISSIMI in Christo Fratres;
Gracias ago Deo nostro & Patri
Domini nostri Iesu Christi, quod
vos in ipso vocaverit ad participationē gra-
tiæ salutaris suæ, & zelum pietatis in animis
vestris gratiosè accenderit, quo studetis in
dies proficere in vera conscientia spiritualium
benedictionum ipsius. Quapropter etiam
eundem oro supplex, prout auctor est omnis Iacob. 1.
donationis bonæ, ut bonum illud quod caput
in vobis perficiat veritate sua, & testimonium
Christi confirmet in vobis, expectantibus
gloriosum adventum magni illius Dei & Ser-
vatoris Iesu Christi.

Vos autem precor, fratres, per amplissi-
mas illas miserationes Dei, quibus vos com-
plexus est in Filio dilectionis suæ, ut ambule-
tis omnes quemadmodū dignum est ea voca-
tione qua vocati estis (ut verbis utar Apstoli)
cum omni humilitate ac mansuetudine, cum
animi lenitate alij alios tolerantes per chari-
tatem

Propo-
sitiō, cha-
ritatem &
pacem cū
omnibus
habendā.
Ephes. 4.

A 2

tatem, studentes seruare vnitatem spiritus per
vinculum pacis. Nam vnum est corpus, &
vnus spiritus, sicut & vocati estis in vnam
spem vocationis vestræ: vnus Dominus, vna
fides, vnū baptisma, vnus Deus & Pater om-
nium, qui est super omnia & per omnia, & in
omnibus vobis. His rebus omnibus cū om-
nes vnum effecti sitis in Domino, profectò
alienum esset a sanctissima hac vnione vestra,
si aut sententiis dissideretis, aut actionibus in-
ter vos digladiaremini.

Cur pax
etiam cū
disiden-
tibus co-
lenda.

1. Cor. 12

Præsertim verò cū illud sciatis quod ibi-
dem dicit Apostolus, vnicuique nostrum da-
tum esse gratiam pro mensura donationis
Christi, & (vt idem alibi inquit) neminem
posse dicere Iesum Dominum nisi per Spiri-
tum sanctum: ac proinde iam eos nobiscum
esse Spiritus sancti participes, qui in hac re
nobiscum sunt vnum, etsi aliis quibusdam in
rebus fortasse non vnum sentiunt: detis ope-
ram obsecro, ut illud in quo vnum estis per
gratiam, per charitatem foueatis atque con-
firmetis, neque permittatis vnquam vos ar-
tificio Satanæ eò imprudentes abduci, vt id-
ipsum in quo estis vnum abrumpatis, prop-
terea quòd in re aliqua non estis vnum.

Math. 11.
Exem-
plum
Christi.

Respicite quæso, fratres, ad exemplum
Christi Domini & seruatoris nostri, & disci-
te ab ipso quòd sit mitis & humilis corde.
Nam & in corpore humilitatis suæ venit olim,

vt dissentientes doceret, inimicos reconciliaret, & oblucentes sensim afficeret misericordiae suae conscientia; non litigans, non clamans, non faciens vt audiret quisquam in plateis vocem suam, arundinum quassatam non confringens, & non exstinguens linum fumigans afflatu violento, sed aura suavi excitans vsque dum profferret ad victoriam iudicium suum; iudicium nempe misericordiae erga cedentes & credentes sibi, in reprobos verò iustitiae & severitatis suae: & nunc idem in conditione excelsa gloriae, postquam in coelum ascendit, sedens ad dexteram Dei Patris omnipotentis, in summa patientia ac tolerantia labenteis erigit, confirmat debileis, malis benefacit, & omneis constanter diligit, sicut & dilexit semper a principio suos, & tradidit semetipsum pro nobis, quum adhuc essemus peccatores & inimici eius, oblationem victimamq; Deo in odorem bonae fragrantiae.

Math. 12.

Ioan. 13.

Rom. 5.

Ephes. 5.

Respicite ad peritos illos architectos quorum opera fundamentum posuit suae Ecclesiae Deus, sanctos Dei Prophetas & Apostolos. Qui omnes in veritate, fide, charitate, & patientia certauerunt, & decurrentes stadium sibi propositum patientia pugnauerunt adversus omnia incommoda ipsos circumstantia, & adversus ea vitia quae Ecclesiam Dei (vt in hoc misero seculo sit semper) infestabant.

Exemplū
Prophetarum &
Apostolorum.

Hebr. 12.

Exemplū
Pauli &
Apostoli.
1. Cor. 15

Rom. 14.

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.

2. Cor. 5.

Respicite in eorum numero magnum illum Dei seruum, & certissimum præconem divinæ veritatis Paulū, qui amplius quàm alij Apostoli omnes laboravit; qua lenitate animi in omneis sit usus, qua erga infirmos aut ignorāteis tolerantia. Nullus enim nostrum, ait ille, sibi ipsi viuit, & nullus sibi ipsi moritur: nam siue viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur. Hac ille conscientia ad Corinthios scribens. Ego, inquit, fratres, non potui loqui vobis vt spiritualibus, sed loquutus sum vt carnalibus, vt infantibus in Christo. Lactis potu vos alui, & non esca: nondum enim poteratis ferre, imò ne nunc quidem adhuc potestis: nam adhuc carnales estis. Cū enim sint in vobis liuor & contentio & dissidia, nonne carnales estis, & secundū hominem inceditis? & quæ sequuntur. De se verò dicit, Deus, puto, nos vltimos Apostolos spectandos proposuit tamquam morti addictos. Nam spectaculū facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem validi: vos gloriosi, nos ignominiosi. Ad hoc vsque tempus, & esurimus, & sitim⁹, &c. Et postea; Cū liber sim ab omnibus, omnibus seruum me ipsum feci, vt plureis lucrifacerem; factus sum Iudæis vt Iudæus, vt Iudæos lucrifaciam: iis qui sub lege sūt, vt si essem sub lege, vt eos qui sub

sub lege sunt lucrificerem, ex legibus, ut exlex
(non tamen exlex Deo, sed sublex Christo) ut
lucrificerem exleges: factus sum infirmis, ut
infirmus, ut infirmos lucrificerem: omnibus
factus sum omnia, ut omnino aliquos servare.

Et quomodo, obsecro, ad unitatem illam,
freudente Satana, contenderunt ij, qui dicunt? Exemplū
Pauli &
Timo-
thei.
2. Cor. 6.
Nullā in re vlla præbemus offensionem, ne vi-
tuperetur ministerium; sed in omnibus nos ap-
probamus ut Dei ministri, tolerantia multa, in
oppressionibus, in necessitatibus, in angustiis,
in verberibus, in carceribus, in exagitationib⁹,
in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, puritate,
scientia, lenitate, benignitate, spiritu sancto,
charitate non simulata, sermone veritatis, vir-
tute Dei, armis iustitiæ dextris ac sinistris,
&c. Atque hæc quidem in illa Epistola Pau-
lus & Timotheus simul perscripserunt, ut eo-
dem scripto sanctissimum ab utroque testi-
monium tolerantia ipsorum, & nostri om-
nium erga proximos officij exemplum habe-
remus. Sed tamen ne tum quidem Paulus de-
stitit ab hoc argumento, quum iam libandus
erat & tempus instabat resolutionis eius; quin
Timotheum ipsum ad officium hoc ampli⁹
accenderet, quasi clangore tubæ vehementissi-
mo. 2. Tim. 2.
Servum Domini, inquit, non oportet pug-
nare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad
docendum, tolerantem malos, cum lenitate
erudientem eos qui contrario animo affecti
sunt,

sunt, ecquādo det eis Deus vt resipiscētes ag-
noscant veritatem, & elapsi ex diaboli laqueo, á
quo captiui tenentur, recipiant mentis sanita-
tem, ad præstandam voluntatē illius. Et paulò
2. Tim. 3. pòst: Tu verò allēquutus es doctrinam meam,
vitæ meæ rationem, propositum, fidem, lenita-
tem, charitatem, tolerantiam, &c. O beatos
Christi milites qui bonum certamen prius in
seipsis hoc modo certarunt, quàm aliorum cõ-
scientias malè institutas expugnarent; & qui á
sui ipsorum victoria fecerunt initium, vt victo-
riam Christi de aliis reportarent, atque odore
notitiæ eius palàm factò in omni loco de eis
triumpharent in Christo Iesu.

2. Cor. 2. Eadem vestigia sancti illi Patres, qui priscæ
Exemplū Ecclesiæ proximè Apostolorum tempora præ-
priscæ erant, institerunt diligentissimè. Tempus me-
Ecclesiæ. citius quàm oratio deficeret, sicorum exempla
aut etiã documenta vellem producere, quorū
pietas & sanctimonia est toti mundo & fuit
cognita. Horum autem salutaria exempla at-
que documenta probavit Ecclesia Christi: &
pii in ea singuli perceperunt, mente & opere
sequeuti sunt, memores adhortationis illius,
Fratres, etiam si præoccupatus fuerit homo in
Galat. 6. aliqua offensa, vos spirituales instaurate homi-
nem eiusmodi cum spiritu mansuetudinis:
considerans vnusquisque teipsum, né & tu
tenteris. Alii aliorum onera portate, & ita
complete legem Christi: & sexcenta alia.

Hæc

Hæc autem vobis scribo, fratres in Christo charissimi, sinceram mentem vestram commotione factione excitans, ut memores sitis verborum & exemplorum quæ a sanctis Dei servis Prophetis & Apostolis didicistis, & semper attendatis quales vos esse oporteat in sanctis conversationibus & pietatis officiis, etiam cum ijs & erga eos, qui non idem per omnia sentiunt, expectantes & properantes ad illum adventum dei Dei. Hæc expectantes, inquit Petrus, studete ut immaculati & incontaminati ab eo reperiimini cum pace: & Domini nostri patientiam salutem ducite, qua & vos credentes cõplectitur, & illos qui dissentiant porro complexurus est qua hora nescitis. Ne putetis, fratres, separatione & abalienatione vestra eos qui diuersum aliqua in re sentiunt (fundamentalia excipio Christianæ & salutaris doctrinæ) aut Christo & vobis adiungi posse, aut in se putefieri: ne ue putetis studium pietatis vestræ magis Deo & hominibus ratione ista probari posse.

Hortatio
ad charitatem pacemque
seruandam,
& cavendam
separationem.

2. Petr. 3.

Longè melius instituit nos ille Dei seruus Rom. 16.
& Doctor Gentium, dicens, Precor vos, fratres, A quibus
ut obseruetis dissidiorum & scandalorum au- faciendæ
ctores contra doctrinam quam vos didicistis, & separatio.
declinetis ab eis: nam qui eiusmodi sunt, Domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed
suo ventri, &c. Hos ille demum fugiendos, ab N. b.
his declinandum dicit, qui non consortes dissi- I.
dio-

Nota.

1. diorum & scandalorum (nam hoc etiam saepe viris bonis & ouibus de grege Christi imprudentibus accidit) sed qui Auctores eorū sunt; nec quorumvis dissidiorum auctores, sed eorum quæ contra doctrinam, quam a Deo Patre & Domino Iesu Christo didicimus.

A quibus non faciendi separatio & qua le-

Itaque ne abalienate vos, obsecro, delecti fratres, neq; discedite alter ab altero: sed agnosce in veritate, & in charitate excipite singuli quoscūq; agnoscit Dominus, & quoscūq; per Apostolum agnoscī iubet: illamque Domini patientiam ita salutem esse illorum docite, ut vestra quoque patientia Dominum imitemini, & dissentientis ad communem salutem, communione doctrina, rerumque diuinarum omnium prouocetis. Non peto ut vim conscientia vestra, cui aedificandæ studeo in Domino: hoc peto, ut singuli facientes vestra conscientia salutis in animis vestris, alienam conscientiam aedificetis communione sanctorum, pietatisque & charitatis vestrae officiis. Hoc si faciatis, si communione sancta sermonis, sacramentorum, precum, & rerum diuinarum omnium alii alios prouocetis; spero & confido in Domino, imò verò spondeo certa fiducia promissionum illius, tum fore tranquilliores in vobis conscientias vestras, tum alios aliis tranquillitatem allaturos. Volo enim vos cum Apostolo sapientes quidem ad bonū esse, simplices verò ad malū.

Rem. 16.

Pietatem charitate conjuncta esse

Hic autem non dubito, fratres charissimi, quin pietas vestra statim Apostolo monenti respondeat; Hoc illud est quod volumus, in hoc laboramus. Equidem scio & persuasus sum de hac

hæc pietate vestra in Domino: sed huius pietatis hæc conditio est, quod nunquam sit sola: pietas semper habet comites, semper ad comitatum suum inuitandum adiungendumq; accendit cultores suos. Quapropter dicit Petrus, 2. Pet. I.
 vos omni collato studio adicite fidei vestræ virtutem, virtuti verò scientiam, scientiæ verò continentiam, continentiae tolerantiam, tolerantiae pietatem, pietati verò animum in fratres propensum, animo verò in fratres propenso charitatem. Hæc enim si vobis adsint atque exuberent, non inerteis vos neque infructuosos efficient in cognitione Domini nostri Iesu Christi. Hanc igitur charitatem, fratres, hanc germanam sobolem pietatis inter vos colite religiosè tum rei veritate, tum communionem signorum sacrorum & confessione ipsius.

Quid ergo: dixerit quispiam Charitatem ne promiscuè usurpari, & indiscriminatim signis communicari & sacramētis illius? Absit: quisquis hoc sentit, nec Dei maiestatem sapit habitantis in Ecclesia sua; nec dignitatem Ecclesiæ quæ est domus Dei viventis; nec suam ipsius sanctificationem in corpore Christi. Sed hoc tantum dico: qui viuit Spiritu Christi, viuit de corpore Christi: qui autem viuit de corpore Christi, is alendus est in communionem illius; & quamuis nō sit planè institutus, ut nos sumus, aut videmur esse, vnio tamen sanctissima pietatis

Charitatem in unitate corporis & spiritus Christi retinendam.

ris officijs in communione sanctorum cum eo retinenda diligentissime.

Quibus
de causis
a com-
munionem
quidam
abstine-
ant.

Quid ergo est, ô dilecti fratres, quid est cur à communione intervos abstineant quidam, aut se impediri putent religione aliqua conscientia? Certe siquid est, prout ego quidem ex modo Ecclesiarum & constitutione corporis vestri possum colligere, id aut ad doctrinam pertineat necesse est, aut ad vitam, aut ad ordinem, quod vobis in hac re impedimento est. De his itaque tribus nisi molestum est, conferam vobiscum paucis, & quod videtur, prout ex Dei verbo didici, explicabo.

Doctrinā
Pastorum
non esse
iustam
separa-
tionis
causam
Vltraicū

Ac primum quidem causam doctrinæ vobis obstare, quominus cōmunicetis cum reliquo cætu vestro in Ecclesia Dei, mihi nō persuadeo. Nam qui apud vos incumbunt prædicationi verbi salutis, ii profecto (vt mihi fecerūt testatum) in fundamentis summis doctrinæ & veritatis diuinæ per gratiam Dei consentiunt: non est igitur doctrina illorum vos discipulos veritatis Christi a communione Ecclesiæ abductura. Nec refert quòd nonnulli fortè obiecturi sunt, at non fuit antè consensus: alii, at fortè non est vera consensus quæ esse dicitur. Hæc vestras conscientias, fratres charissimi, non debent ab officio communionis abducere: sed potius eiusmodi sunt, quæ pros animos vestros eò diligentius ad communionem iubeant accedere. Nam primum, etli multa verè dicun-
tur,

tur, sic tamen ab his dicuntur incommode, aut accipiuntur ab illis, ut falsa videantur. Secundo, si dicuntur falso quædam, & humanitas excidunt imprudentibus (nam in re nulla errare, diuinitatis est) ea aut ex parte aberrant à veritate, aut etiam vniuersè in aliquo doctrine capite, quæ tamen non sunt tanti ut abrumpere debeant vnitatem. Quid nunc faciat, quum eorum certa est in veritate consensio? iniquum profectò foret, vos eorum communionem fugere, qui in vnâ conspirant veritatem. Veritas illa quam colis, iubet ut seruū audias administrumq; veritatis: charitas verò iubet ut præterita obliuiscens, ad ea quæ a fronte sunt contendamus, feramurq; scopum versus ad palmā supernæ vocationis Dei in Christo Iesu; idem sentiamus, & si quid aliter sentimus, dum hoc quoq; nobis retegat Deus expectemus.

Philip. 3.

Quod si de aliis membris singularibus Ecclesiæ agitur, quibus non est commissæ verbi diuini prædicatio, & communis Ecclesiæ cura (et si hoc ab ullo vestrum vix puto obtendi) si qui ergo hac occasione disceptant cum animis suis, & sese dare in communionem propterea renuunt, ij velim hæc duo cogitent, quæ antè ex doctrina Pauli attulimus. Vnum est, siqui- r.
dem illi qui aliqua in re aliter sentiunt, tamen vnum corpus, vnum spiritum, vnā spem vocationis, vnum Dominum, vnā fidem, vnum baptisma, vnum Deum & Patrum agnoscunt, &

Nec doctrinam
omnium
esse iustæ
separa-
tionis
causam.

Ephes. 4.

& nos secū purè communicanteis ferunt; nullo iure nos a communione cum illis colenda percipiendāq; abstinere posse. Nam, vt ibidem ait Apostolus, vnique nostrum data est gratia pro mensura donationis Christi: ideoque id potius sequamur opus est, vel natura duce, quod idem alibi, Quæ putamus, inquit, membra corporis maxime esse inhonesta, ijs honorem ampliorum circumponimus; & quæ sunt in nobis indecora, copiosorem decorem habent, &c. Alterum est, quod nos religiosiores nō decet esse Apostolo Christi: qui (vt antè monuisse Romanos ostendimus) iubet obseruari non quosuis homines, etiā privatos, qui errant in simplicitate cordis sui, vt Scripta loquitur; sed eos demū qui Auctores dissidiorū scandalorūq; sunt, contra doctrinā quam didicimus a Deo; & ab eis qui istius modi sunt declinari. Etenim illorum error nec divinæ veritati in se, nec in nobis præiudicat, qui cōmunicamus; horū error ne signo quidē a nobis probari potest; ac propterea ab his, nō autē ab illis declinandū.

1. Cor. 12

Rom. 16.

Vitæ alienæ modū
nō esse
iustam
separati-
onis cau-
sam.

De vita diuid dicturi sumus? vtinam, fratres charissimi, tum ij qui docent, tum ij qui audiunt, qui pascunt & qui pascuntur, ea sanctimonia vitæ eaque puritate essent; ac potius vtinam omnes ita sanctificationi daremus operam ad quā vocati sumus, vt nullum in Ecclesia intus, nullum foris extra Ecclesiam a nobis exstaret nisi ædificationis mutæ argumentum. Sed cur
puta-

putatis, dilecti fratres, Christum servatorem nostrum nos hoc caput nostrarum precum docuiss^a; *Fiat voluntas tua ut in cælo, sic etiam in terra*; itemque illud, *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris*, nisi ut & nostras infirmitates deploremus ipsi, & alienas tegamus fraternè, prout nostras a Deo paternè optamus regi; & propter communem istam Ecclesiæ & membrorum singulorū in ea labem, discamus (quemadmodum præcipit Apostolus) observare alij alios, ut nos acuamus ad charitatem bonaque opera, ac non deservamus mutnam aggregationem nostri; sed abhortemur alii alios, idque eò magis, quòd videmus appropinquare diem illum reverendum Christi? Hoc opus, hic labor est. dilecti; ut quorum videmus infirmitates, ad eos ipsi, memores nostrarū, accurramus, adhortemur, acuamus, & bonū quod existit in ipsis, & malis adiacentibus oppugnatur, sancta charitatis aura suscitemus.

Math. 6.

Hebr. 10.

Verumtamē, ut de Pastoribus & Grege seorsim dicam; Arbitror observandos fratres qui iam præfunt Ecclesiæ vestræ, tum a Deo ipso diu edoctos esse, qua religione, pietate, fide, prudentia, lenitate, tolerantia, atque charitate, necessitatibus gregis Christi, non sermone solum, sed etiam exemplo ministrari oporteat; tum ipsorum conscientia, credo, ipsos exsuscitat, ut per omnia se ipsos præbeāt typos bonorū Tit. 2.
operum,

De vita
Pastorum

Tit. 2.

operum in doctrina seruantes integritatem, grauitatem, sermonem sanum qui damnari non possit, & vitam denique sanam doctrinæ respondentem, ne aut doctrina vitam ipsorum damnare iudicetur, aut vita ipsorum præiudicet salutis vestræ: quam ad rem Deum oro supplex, vt semper adesse dignetur ipsis præsentia gratiosa sua.

Non ex
vita do-
ctrinam,
sed ex do-
ctrina vi-
râ Pasto-
rum iudi-
cari: quæ
etiâ mala
non præ-
iudicat
veritati.
Philip. I.

Etsi an nescitis fratres, vos in Christum, ac non in homines; vos Christi veritati, non voci hominum credere? an nescitis fidē vestram nō in hominibus, qui vani, mutabiles, atque infirmi sunt, sed in Deo viuentē fundatam esse? Exemplum spectemus Apostoli dicentis sanctissimē; ac nonnulli quidem per inuidiam & contentionem, nonnulli verō etiam propensa voluntate Christum prædicant: ii quidē qui per contentionē, Christum non purē annunciant, quod existiment sese afflictionem addere vinculis meis: qui verō ex charitate, quod sciant me ad defensionem Euangelij constitutum esse. Quid igitur? attamē quouis modo & in speciem, & sincerē Christus annūciatur, & de hoc gaudeo atque etiam gaudebo.

Christia-
nos a cō-
munionē
auerti nō
oportere
Pastorum
scandalis.

Videtis ne. Fratres, sanctum Apostolū gaudia metere ex semine veritatis, quamvis malē & malis instrumentis satæ? Quid ergo scandalis nos sinamus obrui ex hominum infirmitate subolescentibus? Quin potius obse-

obsequamur præcepto Christi dicentis, in ca- Math. 23.
 thedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi: omnia
 ergo quæ dixerint vobis vt ſeruetis, ſeruate &
 facite: ſed ſecundùm opera eorũ ne facite, &c.
 Nam veritas nobis in re diuina tenenda eſt, in-
 ſtrumentorum verò tegenda & omittenda in-
 firmitas. Nec verbi, nec ſacramentorum, nec
 totius miniſterii conditio penſanda eſt ex per-
 ſonarum modo: ad Deum, qui eſt illorum ve-
 ritas, oculi indefinenter aduertendi. Homo Math. 3.
Hebr. 12.
 quidem baptizat aqua, ſed qui maximus eſt &
 ſupra omnes is baptizat ſpiritu ſancto & igne.
 Hic dux fidei, hic ~~τῆς πίστεως~~ ſiue conſumma-
 r. in quo tranquilla & immota permanet pio-
 rum conſcientia.

Quòd ſi Miniſtrorum Paſtorumque ratio Chriſti-
nos ſcan-
dalis mē-
brorum
particula-
rũ com-
munionē
abſistere
non de-
bere.
 non facit vitium veritati, quid de ouibus di-
 ctum ſumus? Equidem non puto quem-
 quam adeò inſcientem in vobis eſſe, qui
 propter nauos particulareis membrorum Ec-
 cleſiæ particulariũ, de Eccleſia tota, & de com-
 munionē eiũ, ſtatuat iudicari oportere. Nam
 vt naturæ aduerſatur, ſi quis de corpore toto ſimile
 hominis malè ſenſerit propter narium vnius
 ſingularis membri: ſic à gratia, veritate, & cha-
 ritate Chriſti iudicium illud de Eccleſia foret
 alieniſſimum. Nam quotquot baptizati ſu- Rom. 6.
 mus in Chriſtum Ieſum, in mortem eiũ ba-
 ptizati ſumus, & ſepulti vnà cum eo per ba-
 ptiſmum in mortem; non quia iam in nouita-

te vitæ perfectè ambulamus (quis enim id faciat homo?) sed potius vt ambulemus in nouitate vitæ, sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris. Ad hunc finem contendimus singuli prout vocati sumus: necdum sumus asequuti, aut apprehendimus: nō enim arbitramur nos ipsos metam apprehendisse. **Philip 3.** Vnum hoc potius agimus: ea quæ a tergo sunt obliuiscētes, ad ea verò quæ a fronte sunt contendentes, scopum versus ferimur ad palmam supernæ vocationis in Christo Iesu. &c.

2^a Cor 13
supplere
omnibus
momenti
offitium.

Rom. 14.

Itaque obsequentes præcepto Pauli, fratres charissimi, vos ipsos tentate annon sitis in fide, vos ipsos probate annon agnoscatis vos ipsos, Iesum Christum in vobis esse: de aliis verò sic in charitate & fide laborate, vt eos seruos sentiat is esse illius Domini cum misericordis, qui etiam lapsos potest & vult erigere, tū verò fidelis, qui se promisit facturum.

Ab im-
perfecti-
one ordi-
ni pu-
bli non
esse iusta
separati
onis cau-
sam.

Restat locus tertius excusationis, nempe ordinis publici reprehensio, quem affirmant quidam corrigi oportere, nec se posse bona fide & conscientia præsentī acquiescere. De ordine in præsentia nihil sum dicturus, quia res hæc agenda est cum amplissimo Magistratu vestro, qui Auctor fuit ipsius. Huic ego nō semel bona fide & conscientia exposui sententiam meam, & porrò facturum sum, si quando iustam mihi occasionem Deus tribuerit. Sed hoc tamen vobis cogitandum est, fratres in Christo

cha-

charissimè, ne grauissimam quidem illam corruptelam doctrinæ quæ in Ecclesia Iudæorum olim obtinebat, iustam fuisse visam a Christo causam & Apostolis ipsius, cur a communione Ecclesiæ abstinere: eos cum Ecclesia rebus sanctis communicauisse, a sordibus humanis sanctissimè abstinenteis. Quod si doctrinæ ratio, dum substantia fundamentalis veritatis permanet, legitima non est ad discidium & separationem constabiliendam; multo minus id ex ordinis alicuius causa a bonis committi oportere: ideoque communicare vos cum ea Ecclesia & posse bona fide, & debere tantisper, dum licet in Domino. Nam ab iis qui Auctores sunt dissidiorum cōtra doctrinam quam accepimus declinare possumus; ab alijs verò, aut ab Ecclesia minimè possumus. Tūm verò (dilecti fratres) hoc expendatis velim; articulis per prouisionem inter vos constitutis, spem vobis inde a principio, etiamque postea, factam mutationis; nec adhuc sublatam esse: quam ad rem ego consilio & opera (si quid possum) futurus sum adiumento vobis, & amplissimo Magistratui vestro.

Rom. 16.

Dissidiorum & separationum eventum sanctum esse.

Postremò autem euentum considerate, quæso, illius separationis vestræ. Hac profectò via non promouetur veritas, non iuuatur charitas, non curatur malum, non Ecclesia coalescit: sed contrà discessionibus, pro-

plectendâque abducuntur multi; obruitur
 ciuitas disidijs, non languescit solum atq;
 refrigescit: malum ubi est, ibi amplius confir-
 matur; & Ecclesia, quæ corpus vnum est,
 magis discinditur. Quod si alij alios morde-
 tis (inquit Paulus) & devoratis, videte ne
 vicissim alij ab alijs consumamini. Vos verò,
 Fratres charissimi, ad veritatem in chari-
 tate vocati estis per Christum Iesum: quo-
 rum vtrumque à vobis suo ordine & modo
 oportet procurari. Nec bonis probatur,
 si quid, contra iustum Ecclesiæ ordinem
 fieri Magistratus volet; nec, si quid Ecclesia
 aut membra illius a Magistratu aut membris
 suis petiverint contra ordinem, id bonis &
 prudentibus probari potest.

*Summa,
 sem totâ
 in verita-
 tis, chari-
 tatis, &
 decori
 observa-
 tione po-
 nitam.*

Colos. 3.

Tria hæc observanda videntur simul: quod
 veritati, quod charitati, quod decoro conue-
 nit. Veritas docetur inter vos: ipsi tenetis
 veritatem quæ palàm apud vos resonat, Dei
 veritatem esse: estote igitur vnum, amabo
 vos, in eadem veritate in Christo Iesu. Cha-
 ritati & decoro iam studeatis opus est. Cha-
 ritati seruietis, si communionem Ecclesiæ
 colatis in vinitate spiritus per vinculum pacis.
 Atque hoc vos cupere scio & per suusus sum
 in Domino: Videte igitur, obsecro, ne per
 vos stet deinceps, quominus illud perfectio-
 nis vinculum, charitas, inter vos per Dei
 Spiritum conseruescat. Decoro facilè pro-
 spectu-

specturi estis, si veritati seruientes, & in cha-
 ritate seruantes spiritus unitatem, alij alios to- Rom. 12.
 leretis, & honore prauertatis ex animo, cum Rom. 13.
 singulos fratres in Domino, & Pastores ve- I. Tim. 2.
 stros: tum etiam (vt Paulus præcipit) Magi-
 stratum vestrum. Quamobrem Deum orate Hebr. 12.
 pro illis, prout est voluntas Dei; veritatem in
 Ecclesia prædicatam colite; pacem & sancti-
 moniam in ea persequimini, sine qua Deum
 nemo visurus est: omnibus bonis quæ a Deo
 sunt cum sanctis communicantes in Ecclesia
 eius; de mutua fratrum ædificatione laborate
 sine rixa & murmure: si qua desiderantur (vt
 nunquam non sit in humanis rebus) ea ho- Rom. 16.
 nestè atque decenter apud quos, & per quos
 oportuerit, finite suo tempore, & modo pro-
 curari: & Deus pacis, Dominus gloriæ, con-
 teret brevi Satanam sub pedibus vestris.
 Gratia & pax Dei sit vobiscum
 omnibus, fratres.
 Amen.

